

# V A R I A C R I T I C A

IN PLATONIS (427-347) Apologia Socratis 21 A verba hoc modo legenda videntur esse: Χαιρεφῶντα γὰρ ἴστε πού, οὗτος ἐμὸς τε ἑταῖρος ἦν ἐκ νέου καὶ ὁμῶν τῷ πλήθει ἑταιρίζετο καὶ ξυνέφυγε τὴν φυγὴν ταύτην καὶ μεθ' ὁμῶν κατήλθε. Ubi ego ἑταιρίζετο supra statui, ibi codices manuscripti ἑταῖρός τε legunt; sed hoc secundum ἑταῖρος quasi statim post unam lineam et illud primum ἑταῖρος repetendo vix telerabiie atque erroneum certo iudicari debet, praesertim cum illud ἑταῖρος posterius nulla figura rhetorica postuletur; immo quadrat in structuram illam verborum ὁμῶν τῷ πλήθει sine dubio ἑταιρίζετο = Chaerephon a vestra factione populari stabat; ἑταιρίζομαι est vox poetica ex Homeri Iliade 24, 335 sumpta, quo poeta Plato libenter utitur; hoc pacto formae grammaticae sententiae optime ac brevissime medemur scribentes ἑταιρίζετο; temerarii enim librarii propria voluntate ex verbo ἑταιρίζετο iterum adiectivum ἑταῖρος factum atque το in τε mutatum est; verbi autem illius imperfectum tempus «consuetudinis» recte ac prudenter opponitur duobus temporibus aoristi ξυνέφυγε et κατήλθε, quibus non status permanens, sed actionis semel evenientes indicantur. Quibus causis omnibus persuasum habemus verbo illo ἑταιρίζετο Platonis locum Apologiae 21 A bene sanatum esse.

ARISTOTELES (384-322) in rhetorica III 1 p. 1403 b 15-17 hanc profert sententiam, quae dicit non verborum oratoris rationem esse habendam, sed videndum, quomodo verba orator loquatur; eandem sententiam Demetrius de elocutione 75 ex Aristotelis rhetorica suscepit; ecce tabula ambos auctores comparandi:

## ARISTOTELES

οὐ γὰρ ἀπόχρη τὸ ἔχειν ἢ δεῖ λέγειν, ἀλλ' ἀνάγκη πάντα πῶς δεῖ εἰπεῖν,

## DEMETRIUS

δεῖ γὰρ οὐ τὰ λεγόμενα σκοπεῖν, ἀλλὰ πῶς λέγεται.

Ex hac verborum comparatione vero consensus quidam inter illos duos auctores cognoscitur. Aristoteles ipse aliquo latius in opere de arte rhetorica disputavit, quia multo quoque ampliore de hac disciplina tractatum confecit; Demetrius contra Aristotelis et aliorum Peripateticorum doctrinam rhetoricam in brevissimam formam coegit; utilis tamen haec consensus Demetrii ad Aristotelis textum corrigendum videtur; nam forma πῶς apud Demetrium obvia etiam apud Aristotelem adhibenda est; ex «Indice Aristotelico» nempe, quem H. Bonitz (volumen quintum Aristotelis operum Academiae Regiae Borussicae Berolini 1870) composuit, p. 871, 55 elucet particulam ὡς rarius usurpari quam πῶς in talibus quale in illo rhetoricae loco invenitur; unde Demetrium bene partes textus Aristotelis conservasse intellegitur; hiatus quoque evitandi causa post ταῦτα melius πῶς adponi valde probabile videtur. Praeterea maius mendum in Aristotelis verbis tollendum est; omnes enim editiones ita scribunt ἀλλ' ἀνάγκη καὶ ταῦτα; ego quidem iam supra in comparatione Aristotelis et Demetrii illam copulam vel particulam καὶ omisi ea de causa, quod καὶ hoc loco falsissimum est; nam ἀλλ'... καὶ supponeret antecedens οὐ μόνον; at μόνον deest summo iure in textu Aristotelis; ergo καὶ admodum superfluum et pravum est; illud καὶ nullo modo vim sententiae augere potest, sed sunt duo contraria in ista Aristotelis sententia prolata, quae sic opponuntur οὐ... ἀλλ'. Illud καὶ nihil aliud est nisi repetitio quaedam et dittographia syllabae -κη verbi ἀνάγκη; ultro Demetrius quoque monstrat illud καὶ in textu primigenio Stagiritae non exaratum esse. Quibus rebus ostensis apertum est et consentaneum in hoc Aristotelis loco scribendum esse ἀνάγκη ταῦτα πῶς δεῖ εἰπεῖν.

FAVORINUS sophista Arelatensis (c. 80 - c. 160 p. Chr. n.) librum περὶ ἰδεῶν (=de ideis) composuit, ut e Phrynicho cognoscimus, qui «eclogas nominum et verborum Atticorum» scripsit, quas edidit Chr. Aug. Lobeck (Lipsiae 1820) 248. W. Schmid in lexico antiquitatis a Pauly-Wissowa confecto «Realencyclopaedie» (=RE) s. v. *Favorinus* col. 2083, 30 iudicat hoc Favorini scriptum «de ideis» vix ad artem rhetoricam, immo ad philosophiam spectavisse propter hoc unum vocabulum σύμπτωμα. Schmid autem immaniter erravit, quod totam verborum sententiam, ubi illud σύμπτωμα olim legabatur, ignorabat nesciusque variarum huius vocis σύμπτωμα significa-

tionum erat; ut metaphora enim Favorinus isto vocabulo uti poterat; et metaphora, quae omnia vocabula in omnia librorum genera transferat, apta videtur. Praeterea Schmid Hermonis rhetoris oblitus est, qui librum *περὶ ἰδεῶν* conscripsit, quem hodie ab Hugone Rabe (Lipsiae 1913 Teubneriana) editum habemus. Favorinus autem ante Hermogenem (c. 160 - c. 230 p. Chr. n.) fuit; et iam ante Hermogenem Tarsensem alii auctores de ideis rhetoricis opera condiderunt, quorum in numero etiam Favorinus reponendus est, cf. RE s. v. Hermogenes nr. 22 col. 872, 53. Insuper Schmid locum Galeni Pergameni medici 14, 627 (Kuehn) praeteriit, ubi Demetrius Alexandrinus rethor et auctor libelli *περὶ ἑρμηνείας* discipulusque Favorini cotidie Romae τὴν ἰδέαν, id est, genus eloquendi Favorini in declamationibus adhibens ostenditur; quo ex Galeni loco perbene demonstratur Favorini librum «de ideis» solum ad artem rhetoricam pertinuisse. Hermogene quidem modo de prosae orationis scriptoribus tractante, Favorinus tamen de poetarum quoque iuxta ac de pedestris sermonis auctorum genere dicendi videtur scripsisse, ut ex Gellii «Noctibus Atticis» efficere possumus; cf. ultro de ideis rhetoricis RE supplementum VII 1125 s. v. «Rhetorik» (de qua re W. Kroll egit). Quibus rationibus prolatis librum Favorini *περὶ ἰδεῶν* recte nisi ad artem rhetoricam non se habuisse satis probavimus.

DEMETRIUS ALEXANDRINUS, Favorini discipulus (c. 120 - c. 190 p. Chr. n.) de elocutione 120 ita scripsisse videtur: ἐγὼ δὲ Πολυκράτει μόνῳ τῷ ῥήτορι. Demetrius ad Πολυκράτει vocem μόνῳ adiunxit, ut Polycratem rhetorem et sophistam, aequalem Isocratis, propter singularem artem mores aliorum notandi praedicaret: ineptum esset μὲν pro μόνῳ ponere; μὲν falso codex exhibet; cf. exempli causa Galenus 10, 389 vs 3 Kuehn: μόνῳ... σοφωτάτῳ. Ludovicus Radermacher, «artium scriptores» id est: τεχνῶν συναγωγή opus Aristotelis restituere conatus (Wien 1951) p. 131 (nr. 11) summa iniuria μὲν (pro recto μόνῳ) proposuit, quod ex falso μὲν codicis manuscripti derivavit; in codice primo contra μὲν cum signo palaeographico abbreviationis pro plena forma μόνῳ fuisse opinione certius est; illud μὲν librarius per inscientiam in μὲν mutavit.

In eadem parte libri Demetrii de elocutione 120 hoc modo continuatur: ἐγκωμιάζοντι <Σωκράτην> ὡς Ἀγαμέμνονα... Polycrates

enim sophista adversarius fuit Socratis, qui sophistis obtrectabat; quamobrem Polycrates ipse sophistas defendens libellis in Socratem invectus est, id quod Polycrates in controversiis contra scriptores Socraticos editis fecit Socratem ipsum cum maioribus hominibus comparans atque inferiorem illudens; hac de causa etiam apud Demetrium de elocutione 120 perbene  $\langle \Sigma\omega\kappa\rho\acute{\alpha}\tau\eta\nu \rangle$  suppleri potest; simul ex hoc Demetrii loco fragmentum Polycratis rhetoris et sophistae recuperatur; Polycrates illum Socratem, ut equidem opinor, ducem philosophorum Atheniensium et Agamemnonem ducem imperatoremque Graecorum inter se iocose neque irridicule comparavit; ad Polycratem cf. Olof Gigon: Kommentar zum ersten Buch von Xenophons Memorabilien (Basel 1953), ubi crebro a pagina 16 usque ad paginam 163 Polycrates una cum Socrate affertur. Ut Timaeus, rerum scriptor Siculus (346 - c. 260 a. Chr. n.) in oppido Tauromenio natus Isocratem rhetorem cum Alexandro Mago, rege Macedonum, comparavit (cf. *περὶ ὄψους* 4, 4 *σὺγκρίσειν* faciens), ita Polycrates rhetor Socratem, hominem simplicem, cum Agamemnone, principe ac duce Graecorum, ironice videtur comparasse; de Timaeo cf. Cicero de oratore II 14, 58. In codice autem Demetrii opusculi de elocutione 120 nomen Socratis interisse propterea suspicio est, quia librarius codicis Socratem tali modo inhoneste frustrari ac violari neque sivit neque credidit.

Apud eundem Demetrium alio quoque loco 293 emendationibus opus est. *Ἑρμίας* scribendum est, non *Ἑρμείας*; praeterea *Ἀταρνέως*, non *Ἀτρανέως*; accedunt porro *μαχαίριονα*, quod est accusativus a nominativo *μαχαίριον*, quae vox hominem, non cultellum neque scalpellum significat; denique scribatur oportet *ἡ τομίαν ἢ ἐκτομίαν*; Hermias enim princeps Atarnei homo erat mutilus, non autem mutilationis actio ipsa; falsa scriptio *τομήν* et *ἐκτομήν* e pronuntiatione byzantina orta est. Postremo memoratu hoc est dignum hanc totam Hermiae descriptionem inde ab *Ἑρμίας* usque ad *εὐνοδοχος εἶναι* fragmentum Callisthenis, nepotis et alumni Aristotelis, libri esse, qui *Ἑρμίας* inscribebatur; Demetrius enim persaepe fontibus Peripateticis ad artem rhetoricam et historiam spectantibus utitur, et Callisthenes, rerum scriptor, fuit vir vere Peripateticus.

AULUS GELLIUS (c. 125 - c. 190) narrat haec in «Noctibus Atticis» XVIII 7, 4: Erat aliquando Romae colloquium inter Domitium Insanum grammaticum et Favorinum sophistam et philosophum de quaestione grammatica. Disputatione finita Favorinus ad Gellium absente Domitio «non tempestive» inquit «hunc hominem accessimus; videtur enim mihi ἐπίσημα ιδέσθαι».

Ultimum illud verbum Graecum mutilate codicibus hoc modo memoriae mandatum est: ἐπισημαίνεσθαι vel ἐπιμαίνεσθαι; cum utraque forma Graeca falsa sit; eam ego iam supra in verbis Favorini allatis ita correxi: ἐπίσημα ιδέσθαι. Certum est ἐπίσημα recte traditum esse; adiectivum ἐπίσημος apud medicos occurrit; ἐπίσημα sunt signa aegrotationis; cf Hippocrates de morbo sacro 8 vol. 6 p. 376, 4 Littré (περιγίνεται ἐπίσημα); illi grammatico Domitio cognomen Insanus erat, quod mente laborabat. Favorinus physiognomon e Domitii vultibus statim insaniam quandam grammatici conclusit. Post ἐπίσημα igitur relinquitur μεσθαι id quod ιδέσθαι recte legitur; nam Mest ditto-graphia litterae Δ (delta); ιδέσθαι significat «in se animadvertere, cernere, observare» (= an sich, bei sich selbst sehen); ἐπίσημα sunt non solum signa externa, sed etiam imagines, phantasmata, species falsae apud aegrotos; ἐπίσημα ιδέσθαι dicit, phantasias distortas videre; ιδέσθαι (actione incipiente) est infinitivus aoristi medii verbi εἶδω, εἰδόμην. Domitius ergo grammaticus propter nervorum debilitatem Insanus declaratus natura intractabilior et morosior etiam voce atque vultu atrociori utebatur eodem Gellio XVIII 7, 1-3 referente; ἐπίσημα ιδέσθαι propterea lectio praeferenda est, quia sic aegrotatio interna phantasiarum et simulacrorum (= Gespenster) intellegi potest; ἐπιμαίνεσθαι tolerari certo nequit; neque enim ad Domitium furentem vel furibundum Favorinus umquam accessisset; ceterum adnotandum restat ἐπιμαίνεσθαι ortum esse ex ἐπιμαίνεσθαι = ἐπίσημα et ἰνεσθαι = ιδέσθαι; ergo lectio primaria utique fuerat ἐπίσημα ιδέσθαι. Haec scriptio Graeca distincta, accurata, certissima ducenda est.

MAXIMUS TYRIUS (c. 115 - c. 190) in dissertatione 25 p. 298, 13 Hobein (Lipsiae 1910 Teubneriana) dicta Pythagorae cum legibus comparat: οἱ Πυθαγόρου λόγοι εἰκότες τοῖς νόμοις βραχεῖς καὶ ἐπίτομοι. Hoc ultimum vero vocabulum non ἐπίτομοι, sed ἐπίτονοι scribendum est; neque enim leges sunt abbreviationes (ἐπίτομοι vel ἐπιτομαί) ne-

que excerpta neque summaria e maioribus legum vel decretorum collectionibus desumpta; immo Pythagorae sententiae tamquam leges brevi forma dicendi (βραχείς) institutae firmissime, rectissime, strictim, modo quasi imperatorio (ἐπίτονοι) ad oboedientiam admoment; qua de causa solum ἐπίτονοι vera scriptura habenda est, quia leges nec multis verbis nec mollibus circumscriptionibus, sed dictatorie homines ad obtemperantiam recta via cogunt; ergo haec duo adiectiva diversa (βραχείς et ἐπίτονοι) virtutem dictorum Pythagorae eodem fere modo exprimunt ac Porphyrius morem Plotini docendi σύντονον... βραχόν τε (cf. vita Plotini 14 initio) descripsit. Palaeographicè tandem litterae N et M facillime inter se in cōdicibus manuscriptis confundi assolent; ἐπίτονοι igitur rite hoc loco ad λόγοι commodum scribitur.

LUCIANUS (c. 120 - c. 180) libellum conscripsit, cuius nomen adhuc nondum cognitum erat; e Galeni demum commentariis ad Hippocratis epidemias, quos ediderunt E. Wenkebach et Fr. Pfaff (Lipsiae 1934, apud Teubner in «Corpore medicorum Graecorum»), haec verba, p. 402, 32-39, ex Arabica lingua in Germanicam translata certiores nos de Luciani opusculo faciunt, quae sic fere, Latine reddere velim: «Lucianus libellum composuit, in quo sententias obscuras edidit, quae mente comprehendere nequirent, easque Heraclito Ephesio attribuit; auctor opusculum nonnullis deinde viris tradidit, quod portabant ad philosophum quendam, cuius verbum verum ac fidele putabatur; a quo viro sapiente interpretationem illius scripti intricati postulabant. Hic tam miserrimus philosophus non sensit se ab istis homunculis illudi atque frustrari; sed verborum explicationes effatus, utpote qui semetipsum ad hunc laborem aptissimum existimaret, ex hac interpretatione calumniam cepit et ignominiam».

Iam quaeritur, quis ille fuerit philosophus, qui Luciani facinus obscurarum plenum sententiarum interpretari aggressus sit. *Celsus* fuit iste vir doctus, ut equidem arbitror, qui opere proprio, quod ἀληθῆς λόγος inscribitur, gloriam quandam capessiverit Pro Celso auctore illius interpretationis libri Luciani haec argumenta stare possunt: Celsus erat aequalis Luciani et philosophus, qui ab ipso Luciano in libello «Alexander sive pseudomantis» cap. 1 et 21 ὁ φίλας Κέλσος commemoratur; uterque Athenis multos annos vitam

degit. Lucianus porro Celsi collaudat amorem veritatis in eodem opusculo «Alexander» cap. 61, ubi scriptor Samosatenus appellat Celsum sodalem atque amicum, quem Lucianus omnium maxime admiratur propter sapientiam et veritatis amorem, ob mansuetos mores, aequitatem animi, vitae tranquillitatem, dexteritatem consuetudinis et familiaritatis hominum. In extremo igitur libello «Alexander» Celsi amor veritatis laudibus effertur et in Galeni loco supra memorato item philosophus quidam veritatis amore praecellens inducitur; qua de re concludere possumus verisimile esse eundem philosophum Celsum a Luciano in libello «Alexander» nominatum atque illum ignotum virum a Galeno relatum. Quamquam homines quidam sponte sua libellum «de Heraclito» scriptum Luciani ad Celsum, ut equidem semper persuasum habeo, ludibundi tulerunt; tamen Lucianus eos Celsum ipsum adire non iussit; Lucianus autem certo id non attenderat, ut Celsum amicus contumelia ignominiaque afficeretur: Lucianus enim non semper neque ubique lusor fuit. Summi momenti postremo ad personam philosophi apud Galenum obvii circumscribendam est notio «veritatis» apud Lucianum et Galenum, quam Celsus tantopere coluit, ut librum suum ἀληθῆς λόγος inscriberet cf. Galenus 8, 772 ἀληθῆς λόγος; Celsus etsi apud Lucianum Epicureus nominatur, tamen Platonis quoque doctrinam sectatus esse potest; eo enim Luciani tempore σύγκρισις duarum sectarum in uno homine fieri quivit. Celsum igitur illum philosophum apud Galenum ignotum esse coniectura mea probabilissima est Luciani ipsius autem libellus Ἡράκλειτος inscriptus mihi videtur esse.

GALENUS (129 - c. 200 p. Chr. n) in prima sententia primi capituli institutionis logicae Galeni Pergameni (quam edidit Carolus Kalbfleisch, Lipsiae 1896, Teubneriana) prima verba talia esse debent: <τῶν ὑπαρχόντων> τὰ μὲν αἰσθήσει γινώσκόμενα ἅπαντες ἄνθρωποι, τὰ δὲ νοήσει μόνη, καὶ ταῦτα μὲν ἀναποδείκτως, τὰ δὲ μήτε αἰσθήσει μήτε νοήσει γινώσκόμενα δι' ἀποδείξεως.

Kalbfleisch autem iniuria <τῶν φαινόμενων> pro illo recte <τῶν ὑπαρχόντων> addidit; sed res et obiecta utriusque cognitionis αἰσθήσεως et νοήσεως sunt ὑπάρχοντα, non φαινόμενα; νόησις enim non φαινόμενα dumtaxat visa respicit neque complectitur, sed potius «entia», id est ὑπάρχοντα, tractat; αἰσθήσις contra primo obtutu φαινόμενα ap-

prehendit, quae sensibus percipiuntur; participium tamen utrique cognitioni commune est ὑπάρχον; quod verbum (ὑπάρχω=exsisto) frequenter in Galeni logica occurrit (pg. 4, 1. 7, 19. 8. 9; etiam in paginis 9. 12. 13. 16, 20. 29. 33. 35. 38. 39. 40. 43); ὑπαρξις ibidem legitur pg. 5, 2. 7, 13. 29, 6. 32, 7. 35, 17. Primam igitur Galeni logicae sententiam latine hoc modo reddam: «Rerum existentium alteram partem omnes homines sensibus, alteram partem sola cogitatione intellectus sine demonstratione cognoscimus; res autem neque sensibus neque mero intellectu cognitae concipimus per demonstrationem». Haec ipsa sententia est doctrina Stoica; eadem fere enuntiatio exstat apud philosophum nomine carentem, quem Herminum, Galeni magistrum Pergamenum, verisimile reor esse, in Museo Rhenano 51 (1896) 4 in prima linea.

GREGORIUS THAUMATURGUS (c. 213 - c. 273) in oratione gratulatoria, quam anno p. Chr. n, 238 in oppido Caesarea ante Origenem praeceptorem habuit, haec verba dixit: τὸ δὲ εὐλαλον καὶ εὐστοχον ἐν λόγῳ... In editione huius orationis, quam confecit Paulus Koetschau (Des Gregorios Thaumaturgos Dankrede an Origenes. Freiburg (Breisgau) und Leipzig 1894 cap. I § 6 p. 2, 17) ille Koetschau ita scripsit: εὐλαλον καὶ εὐστοχον. Augustus Brinkmann contra (Rhein. Museum 56 (1901) 62) pro εὐστοχον proposuit εὐτροχον. Sed ad Gregorii dictum de arte rhetorica optime εὐστοχον aptum videtur; idem vocabulum etiam Maximus Tyrius sophista in dissertatione 25 p. 297, 7 Hobein (Lipsiae 1910 Teubneriana) = diss. 31 p. 122, 29 Duebner (Paris, Didotiana) adhibuit: λόγος βραχύς, εὐστοχος; hoc adiectivum εὐστοχος significat eum, qui finem scopumve bene assequitur, vel rem ad finem appetendum idoneam; cf. στοχάζομαι et στοχασμός. εὐστοχος invenitur apud Platonem in «Legibus» 792 D; apud Aristotelem top. VI 14, 6 p. 151 b 19; de partibus animalium I 1 p. 639 a 5; rhetor. III 11 p. 14 12 a 12; apud Philodemum vol. rhet. II (Lipsiae 1896 Teubneriana) 108, 8 Sudhaus; apud Plutarchum vit. Phocionis 17; apud Lucianum in lexicis Graecis commemoratum; apud Pollucem VI 204-205 Bethe; apud scholia Platonica ad Phaedrum 260 c (edidit Guilelmus Chase Greene, Haverford 1938 p. 84); apud Ioannem Sardanum ed. Hugo Rabe (Lipsiae 1928 Teubneriana) 38, 5. 4 3, 13. Ex his observationibus efficitur postremo, ut etiam hoc in loco Gregorii Thaumaturgi εὐστοχον scribatur.

*Liber* περὶ ὄψεως, cuius auctor meo quidem iudicio PORPHYRIUS (233-c. 304 p. Chr. n.) est, in capite 4, 5 iudicat Timaeum, rerum scriptorem Siculum (356 - c. 260 a. Chr. n.), pari ratione ac Xenophontem (c. 430 - c. 354 a. Chr. n.) frigido dicendi genere rebus minoribus studiose captis usum esse; tales res aliquanto minoris pretii ille auctor Porphyrius denotat ὡς φάριον, id est, pannum, qui tamquam metaphora ad orationis ornatum arcessitur. Vox φάριον, id est, res furtiva, quae adhuc in textu libelli περὶ ὄψεως 4, 5 legebatur, hoc in contextu verborum sensu caret; atque coniectura φάριον, quam E. Rohde proposuit, et ea φαρτίου quam I. D. Meerwaldt (Mnemosyne 59 (1932) 330) protulit, ad hanc sententiam non quadrat. Xenophon et Plato tales rerum parvitates, quibus gaudium comparatur (μικροχαρῆ π. ὄψ. 4, 4) adhibebant quamquam philosophi e schola Socratis oriundi; id genus μικροχαρῆς Porphyrius c. 4, 5 φάριον appellat; et Pollux φάριον VII 67 (Pollucis onomasticon edidit E. Bethe vol II (Lipsiae 1931) 71, 5) ita explicat: φάριον δὲ τὸν ἐρεοῖν κεκρύφαλον ὀνόμαζον; significat autem κεκρύφαλος pannum, quo feminae ad caput tegendum utebantur. Ergo Timaeus nonnunquam pannos, id est, verba minoris auctoritatis vel dignitatis ad orationem usurpabat. In textu igitur libelli περὶ ὄψεως 4, 5 solum φαρτίου ponatur oportet, praesertim cum confusio litterarum ω et α facile in codice scribendo exoriri potuerit.

In eodem opusculo de sublimitate dicendi cap. X 2 Porphyrius carmen Sapphus poetriae Samiae laudavit, cuius ultimi versus ita emendandi sunt:

φαίνομι' αἶτι.  
ἀλλὰ πᾶν τολματὸν ἔπει πένητα.  
καί...

Ad primam lineam explanandam haec addo: codex hanc formam φαίνομαι nobis tradidit; postulatur plenus versus Adonius, qui dimetro dactylico catalectico exprimitur; deest igitur in codice una syllaba, id est τι; nam φαίνομαι ita discernendum est, ut φαίνομι' et αἶ separatim evadant et ad αἶ adnectatur τι, ut oriatur αἶτι; quod vocabulum est vocativus nominis feminini αἶτις significantis «juvenilem amicam et dilectam virginem»; nomen masculinum contrarium est αἶτας=dilectus juvenis; cf. Liddell-Scott s. v. αἶτας et αἶτις. Post φαί-

νομαι syllaba τε per haplographiam (similitudine AI et TI) exciderat scribendum ergo remanet φαίνομι ἄϊτι. Cf. Edgar Lobel:

Σαπφοῦς μέλη (Oxford 1925) 17.

Ad versiculum ἀλλὰ πᾶν... haec deinceps appono: sensus quidam ad ista verba redit scribendo ἔπει pro falso ἐπεί; illud ἔπει significat «occupat» vel «versatur circum aliquid aut aliquem». ἔπει πένητα valet idem ac «persequitur miseram (pauperem, scil. Sappho=accusativus)»; πᾶν τοῦ ματὸν exprimit hoc: «omne, quod audacter ferendum ac patiendum est»; καὶ post ἔπει olim falso positum incipit iam novam lineam nunc recte post πένητα collocatum; ad ἔπω cf. Homerus II. 6, 321. 11, 483; praeterea: Kuehner-Blass: Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache I 2 (Hannover 1892) 423. Scribatur postremo necesse est ἀλλὰ πᾶν τοῦ ματὸν ἔπει πένητα καὶ...

PROCLUS DIADOCHUS (Platonis), qui fuit ab anno 412 ad annum 485, in commentario ad Euclidem p. 3, 17 (recognovit G. Friedlein, Lipsiae 1873, Teubneriana) tres modos cognoscendi distinguit, quibus tria obiecta diversa attribuit; *primus* enim cognoscendi modus est intentio, quae νόσις vocatur (cf. p. 10, 25. 11, 1. 11, 21, 12, 2); *secundus* modus est intellectio vel intellectus, cui nomen est διάνοια (cf. p. 4, 8. 11, 1. 12, 1. 14, 23); *tertius* modus est opinio, quae Graece δόξα dicitur (cf. p. 4, 5. 11, 22. 12, 1, 14, 23).

Obiectum primi modi sunt πρῶται ὑποστάσεις, id est ἀμερίστα, ἀπλᾶ = ideae;

obiectum secundi modi sunt μέσαι ὑποστάσεις, id est: corpora mathematica;

obiectum tertii modi sunt τελευταῖαι ὑποστάσεις, id est: ἔσχατα, μεριστά = res concretæ.

Ex hac enumeratione sequitur ut p. 3, 17 legatur καὶ τοῖς μὲν ἀμερίστοις τὴν νόησιν ἀπεδίδου; obiectis ἀμερίστοις igitur primum modum cognoscendi τὴν νόησιν attribuit (ergo primo obiecto non iterum primum obiectum (νοητὴν) tribuit; falsa scriptura νοητὴν reiectanea est, quod etiamsi νοητὴ (scilicet γνώσις) acciperetur, νοητὴ dici non potest; ergo tantum νόησιν unica lectio probanda est.

In eodem Proclus commentario ad Euclidis elementa p. 141, 23 ex Pythagoreorum doctrina deis certas figuras attribuit, quia dei in eis domiciliis habitant, quae longe a terra absunt ob eamque rem ab

hominibus non cognoscuntur; his de causis figurae occultae (*κρύφια*) dicuntur. Praeterea figurae innominabilia (*ἄρρητα*) putantur vel nominibus significari nequeunt, quod dei loca incolunt, quae homines adire omnino non possunt; sunt enim loca *ἄδυτα*. Ex his duobus figurarum attributis (*κρύφια* et *ἄρρητα*) etiam deorum domicilia ipsa negative appellari debent; alterum nomen est *ἄδυτον* (p. 14 1, 23), alterum autem inest in voce mutila *ἀγγείσις*, quae per dittograppiam litterae gamma ex recta forma *ἀγείσις* orta est; *ἄγειος* quidem significat id, quod non ad terram pertinet, immo longe ab ea distat. Iam Aeschylus supplic. 857 hoc vocabulo *ἄγειος* utitur, quod ad antiquam religionem spectat neque a Pythagoreorum doctrina abesse videtur; *ἄγεια* sunt domicilia deorum «non terrestria», id est, caelestia sunt. Scribendo denique p. 141, 23 ἐν τοῖς ἀγείσις τῶν θεῶν καὶ ἀδύτοις etiam hic Procli locus sanatus est.

EMIL. ORTH.